



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Sex Lutherani combusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

hujus mali auerruncandi ac profligandi remedium videtur : Erat tum supremi senatus Cancellarius Antonius Pratenfis, quo suadente, ac rege auctore, varia Edicta contra Novatores illos publicata sunt. Quia vero rex non ignorabat quam avido novitatis ingenio essent Galli, adeo ut malo illi non nisi divino auxilio occurri posse videretur; ipse vero nihil magis cuperet quam titulum illum à Carolo magno sibi ac prædecessoribus quasi per manus traditum, ad posteros illibatam transmittere: edixit, ut sollemnis supplicatio Lutetiæ haberetur, cui ipse interfuit, pedibus incedens capite nudo, manibus ardentem cereum gestans; comitantibus regis liberis, cognatis ac reliquis Principibus, universo Curia Parisiensis Senatu, & exterorum Regum ac Principum Oratoribus, innumera denique promiscuæ plebis multitudine. Inde in Curiam Episcopalem reversus rex, è loco æditiore primores ad se vocatos sic alloquutus est.

Si in verbis quæ ad vos facturus sum, nullum artificiosæ orationis vestigium apparebit, minus mirum vobis videri debet: quandoquidem ejus rei de qua vobis dicere constitui, nimirum divini honoris studium ac zelus, ita animum meum inflammat, ut quid prius aut posterius dicam fere nesciã; animadvertens quam graviter Rex ille regum, per quem nos regnamus, & cujus ego in regno sum vicarius, ad id constitutus ut sanctam ejus voluntatem fieri faciam; videns, inquam, quam graviter Deus passim offendatur; & malitiam atque acerbam pestem eorum considerans, qui florentissimã, ac tot sæculis à supremo Rege defensam ac conservatam Francorum Monarchiam nõ debilitare modo, verum etiam plane evertere conantur. Fateor sane, etiam antehac sæpe gravissima mala in regnum hoc incubuisse: constat tamen superiores Reges prædecessores meos in Christiana & Catholica religione constanter semper perseverasse, & CHRISTIANISSIMORUM regum titulum illibatam ad posteros transmississe, quem nos etiam hodieque portamus, & Deo auxiliante, ad finem usque vitæ portabimus. Ac licet bona hæc nostra Parisiensis civitas semper antehac præ ceteris velut caput atque exemplare speculũ omnium vere Christianorum fuerit; nuper tamen Novatores quidam exstiterunt, qui salutari doctrina destituti, atque errorum tenebris obfuscati, tam Sanctorum precibus suis apud Deum pro nobis intercedentium, quã ipsius Jesu Christi, sine quo nihil bene aut feliciter agere possumus, honorem vellicare aggressi sunt.

Turpe ergo sane nobis fuerit, si quantum in nobis est, deterrimos istos homines non confundamus, atque etiam exstirpemus. Atque hanc ob causam ego vos huc evocatos monere ac rogare volui, ut omnes sinistras de religione opiniones, quibus periculũ est ac inter vos committamini, ex animo ejiciatis, tũ liberos vestros, familiares & domesticos in Catholica fidei obedientia contineatis; adeoque etiam si quem contagiosa hac peste infectũ noveritis, sive is etiam frater, cognatus aut affinis vester fuerit, eũ indicare non dubitetis, ne silentio vestro vos ipsos quoque tanti maleficii reos ostendatis. Ad me quod attinet, qui Rex vester sũ, si quod membrorum meorum detestabili illa contagione infectum scirem, lubenter id abscondendum vobis præbiturus, imò si quem liberorum meorum ista secta irretitum deprehenderem, ulro eum ipse sim sacrificaturus. Quia vero studium vestrum & zelum erga Catholicam religionem & Jesu Christi honorem liquido perspexi, etiam atque etiam vos moneo ac rogo, ut in eo persistatis. Quod si feceritis, vobiscum ego vivam atque agam, ut bonum regem decet, operamque dabo, ut in bona pace ac tranquillitate, tanquam fideles subditi ac veri & Catholici Christiani honeste vitam traducatis.

Hæc fatus illachrymari cœpit: quæ res etiam adstantibus lachrymas expressit, omnibus una voce acclamantibus ac protestantibus, se in Catholica religione vivere velle ac mori. Deinde iterum preces ac supplicationes in D. Genovesæ templo habitæ sunt. Et quia rex Justitiaris mandaverat, ut in Edicta sua de religione spernentes, sine ulla conniventia severe animadvertent, eodem die sex Lutherani à Curia rei peracti ac damnati, & ut eorum exemplo reliqui terrerentur, igne cremati sunt: quo facto Lutheranorum animi mirum in modum consternati sunt & attoniti, adeo ut multi qui jam iter è Germania in Galliam adornarant, veluti viso ac calcato serpente refugerint; multi econtra è Galliis in Germaniam & Helvetiam se receperint, ne Vulcano consecrarentur. Ab his instigati Protestantes Principes apud regem per litteras intercesserunt, ut cum religionis suæ sociis mitius ageret. Ista vero supplicia sequenti capite repræsentabo, & bonos illos martyres, scilicet in theatrum hoc nostrum producam, ut omnibus constet quam vere ac juste hæretici de istorum constantia gloriantur: cujus specie tamen diabolus multos decepit. Quia vero tum Gallia undiquaque oppugnabatur, rex Langæum iterum in Germaniam ablegavit, ut Protestantium animos

animos severitate illa quamvis iusta suppliciorum exulceratos, demulceret ac reconciliaret, quum in-terim nihilominus Edicta contra Lutheranos ex-sequutioni mandarentur. Hac Legatione Langæus id à Protestantibus meruit, ut (sicut Historia sæpius à nobis citata loquitur) non tam Dei quam regis voluntati in eo obsequutus esse dictus sit.

V. Ex quo factum est, ut quamdiu Franciscus I. rex vixit, hæresis tamquam compedibus illigata, nusquam potuerit progredi, aut stabiliri. Tanto enim studio pro Dei honore & tranquillitate Ecclesiæ rex excubabat, ut omnes hæreticorum fraudes facile deprehenderet, eluderet atque elideret. Vix Sisyphi illi saxum illud suum contra montem pro-olvere cœperant, quum statim regia manus ad-fuit, rursusque illud ad imum usque dejecit. Nec tamen cessabant hæretici, sed labore velut in or-berem redeunte, ut alter ille Sisyphus, qui protrudens.

Saxum, sudans, nitendo, non proficit hilum.

spe omni tandem frustratos se viderant Fateamur libere quod fatendum est, nisi Christianissimi hu-jus regis tanta cura & sollicitudo in conservanda Catholica religione intervenisset, ardentissimum illum Gallorum erga eandem ardorem ac zelum in glaciem abiturum fuisse. Et quamvis regis ani-mus, ut supra diximus, undique omnibus machi-nis oppugnaretur, divina tamen providentia fir-mus atque immotus perstitit, ejusque exemplo ce-teri etiam, quantumvis novitatis avidi, in officio permanerunt. Hinc illud quod in supra citata Hi-storia scriptum exstat: *Magnates tum capisse volun-tates suas & affectus ad regis voluntatem accommoda-re, & paulatim in Sacra Scriptura (id est, Novi E-uangelii) lectione tepidiores, tandem etiam omnibus aliis deteriores factos esse. Quod si alter horum Monar-charum, Franciscus aut Carolus, sectariorum causam suscepisset, sine dubio hæresis dimidium veluti Christianitatis orbem inundatura fuerat. At illi velut ob imperii æmulationem simultates exerce-bant; sic in Catholica Ecclesiæ defensione mutuis studiis conspirabant; uterque S. Sedis observandis-simi, & acerrimi Lutheranorum hostes.*

Hinc ille qui virorum doctrina & pietate illu-strium, id est, omnis generis hæreticorum (neque enim aliud nomen reperio, quo miscellaneam illam diversarum sectarum hominum, quorum in libro illo elogio pulchra scilicet descripta exstant, collu-viem comprehendam) ille, inquam, qui suæ farine hominum Icones divulgavit, excusat se, quod inter

eos regi quoque huic nostro locum esse voluerit, quasi tali honore, credo, minus digno. Sic enim lo-quitur: *Ne tu agre fer, rex potentissime (neque enim Christianissimi eum nomine dignatur) quod huic quæque libro, quamvis iis, tantum quibus tu vivos acerrime adversarius es, dedicato, tuum nomen insertum est.* Et tu, Christiane lector, ne indignare, quod hic quoque ejus vides imaginem, qui puræ doctrinæ sū-mus fuit adversarius. Quæ quidem ille ideo dicit, quod ejus imaginem post quinquaginta duorum Mi-nistrorum, diversarum & inter se pugnantium sectarum, collocasset, atque ita cum famelicis illis Pæda-gogis, Monachis incestuosus, scholaribus & sacer-dotibus luxuriosis ac dissolutis, qui inferni thronū stabilire, & divina ac cælestia religionis mysteria proculcare conati sunt, conjunxisset: in quo sane tã gloriosi Principis memoriam ac famam, non parum læsit. O picturas illas incompatibiles, hominū mu-torum quidem, nihilo tamen minus inter se digla-diantium! Omnia hic muta sunt fateor: at in ipso ta-men silentio dissonum quoddam murmur variarum & pugnantium doctrinarum auditur. An vero non dico tam magnus ac potens, sed tã pius ac religio-sus Princeps inter illos, turbarum ac seditionum so-mites, inter Claustrorum monasticorum excrême-ta, inter scholasticas ac pædagogicas sordes, inter omnis impietatis inquinamenta collocari debuit? Conjunctio sane hæc vel mixtura nullam omnino habet proportionem. Consociatio hæc transfuga-rum ab Ecclesia cum Rege Christianissimo & pri-mogenito Ecclesiæ filio valde dispar est & mostro-sa. An tu mi homo, tanti regis nomen ac gloriã, etiam præstantissimorum Scriptorum stilo majorem ac digniorem, tam exiguo contemti libelli angulo comprehendi posse putas: illius forte exemplū imi-tatus, qui integrã Homeri Iliada minutissimis li-teris descriptã, nuci inclusit. Nūquid potius, ô mag-ne & invictæ Monarcha, locū Xerxis aut Alexãdri magni dignitati, pompæ & magnificentiæ æquale merebaris; quorum hic Athon montem pro statua sibi efformari jussit? Itane hominẽ sub imperio tuo natum, hæreditario illo Galliæ regibus titulo defraudare, & tamquam Jesu Christi Adversarium infamare. Neque tamen rex optimus omni illa sua vigilantia & cura impedire potuit, quo minus divi-na contra peccata nostra exardente indignatione, gravissimis malis ac miseriis in regnum hoc aditus fuerit patefactus. Spes quidẽ fuerat, fore ut hære-ticorum cineribus hæresis sepeliatur; quæ tamẽ sub- inde repullulavit, divinæ iræ & præcæcia & admira- q. 111.